

05

A

2512





Angelorum Creatore annuente!

De

Qvidditate Ange- lorum,

PRÆSIDE

M. JOHANNEM MANITIO, Elstrensi Lusato,
Sereniss. Elect. Sax. Alumno,


In Electorali ad Albim Academia

die IV. Januarii, Anno 1662.

disputabit publicè

*In Auditorio Minori,
horis pomerid.*

PETRUS DIETERICUS, Misensis,
Respondens.



WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt.



69

Quid sit Angg.
Iorum



PETRUS DIB...

05 A 2572

Typis MICHAELIS...



Angelo Magno & InCreato aDIVVante!

De

Angelorum Quidditate

THESIS I.



Vod de mentis natura doctissimus Hispanorum Vives judicavit, eam nimirum perscrutari intricatum opus esse plenumq; obscuritatis: idem de Angelorum naturâ præcisâ Scripturæ S. revelatione, asserere nullus dubito. Cognitu difficilis atq; imperfecta eorum est natura, quùm à sensibus maximè sit remota. Quanta tamen-cunq; sit difficultas ista, quanta obscuritas, tantò major utilitas atq; insignis planè jucunditas ad legentes ista atq; meditantes redundat. Difficiliter ergò intelligibilis nostra hæc est materia, quod largimur, non tamen penitus imperceptibilis, quod *Angeli Increati auxilio* demonstrabimus. *Vocamus igitur ante omnia in adiutorium Angelum illum Magnum magni consilij Angelorumq; Creatorẽ unicum, ut ipse unà cum beatissimis hisce Spiritib9 nobis adesse, nobis præesse, nobisq; inesse haud dedignetur, ut de hac arduâ materiâ piè & eruditè sentire ac loqui nobis liceat, atq; sic naturâ Angelorum cognitâ hinc incipiamus fieri ἱσάγγελοι in pietate, sanctitate & perfectione, donec nos Angelus ille Increatus ad pleniorẽ, quin absolutam Pietatem, Sanctitatem ac perfectionem deducet!*

2. Juxta Methodum usitatam hæctenus atq; consuetam notabimus circa Angelorum doctrinã rectius explicandam definitionem nominalem partim, partim realem. In ὀνοματολογία occurrit 1. *παρωουία*, Angelus vox origine græca est, descendens ab ἀγγελῶ nuncio, unde ἄγγελος nuncius, quod nomen Latini retinuerunt & aliæ nationes pleræq;. Justinus Martyr in Disputatione contra Tryphonẽ ita habet: ἄγγελος λέγεται διὰ τὸ ἀγγέλλειν τοῖς ἀνθρώποις, ὅσα πρὸς βέλῃαι αὐτοῖς ἀγγελίαι ὁ τῶν ὅλων ποιητῆς. Itaq; si vis nominis spectetur, non naturæ sed officii est vocabulum, ut Ambrosius in Ebr. 1. Hilar. 1. 5. de Trinit. August. in 104. Ps. & Isidor. in originib. observarunt. Consuetudo tamen obtinuit, ut vocabulum illud usurpetur ad significandam naturã

quandam seu substantiam creatam nobiliorem homine. Ebraei Angelum nominant מַלְאָכִים nuncium, Legatum, quæ denominatio, utrum inferat nuncium simpliciter, an verò nuncium cum additamento, qui missus est ad servitiũ, quod addit Ludov. de Dieu in animadv. ad Gen. c. XLIIIX. 16. de eò disquirant Philologi.

3. Deindè notamus ὀνομασία, & cum primis in S. literis vox Angeli sumitur I. *Generaliter* pro quovis nuncio seu Legato, hinc dicitur de Legatis Politicis Prov. XIII. 17. c. XVI. 14. II. *Strictè* pro Sacerdotibus, Prophetis & verbi divini ministris Es. XXXIII. 7. Mal. II. 7. & in Apoc. passim. III. *Strictissimè & singulariter* pro Filio DEI, tùm ἀσκήτω Gen. XVI. 7. Exod. III. 2. & c. tùm ἐνορέτω Apoc. VII. 2. c. X. 1. quâ de re fusius Theologi. *Speciatim* tamen IV. vox Angeli sumitur pro Spiritu creato, completo, quæ posterior acceptio hujus est loci, Conf. Dn. D. Scharff. p. m. in Pnev. 1. 3. c. 2. & Dn. Scheibl. l. 2. Met. c. 4.

4. Tertiò quod concernit συνωνυμία, varia in Scripturis leguntur nomina, quibus tùm boni, tùm mali denominantur. Boni dicuntur Cherubim, Seraphim, stellæ matutinæ, Filii DEI, vigiles, flammans ignis, Viri, Domini, Exercitus, Electi, potentia DEI, fortes Principes, Throni, Dominationes, potestates, Filii lucis, Angeli parvorum, Spiritus administratorii, & si quæ alia occurrunt, tùm ab attributis, tùm operationibus Angelorum desumpta nomina. Mali verò vocantur serpentes vastatores, Spiritus immunditiei fornicationum, perversitatum, pilosi, hircosi, hirsuti, eò quod sint Spiritus horribiles, fœdi & deformes, quùm apparent hominibus, bestię mammosæ, Spiritus tenebrarum, malæ voluntates, Dii hujus seculi, homicidæ, Spiritus vertiginis, Venatores, Leones rugientes, *Dionys. de div. nom.* agalmata vocat. Itè Spiritus malus dicitur Satan, Diabolus, adversarius, Dæmon, Beelzebub, Musca, Inimicus, fortis armatus, Draco, Spiritus Pythonis, Princeps Mundi, Pater impiorum & c. Ex quibus tamen nominibus nonnulla μέτρα sunt & tam bonis, quàm malis conveniunt, quod non diffitemur.

5. In Philosophia verò Angelis diversa attribuuntur nomina. A Latinis dicuntur Genii, fortè à gignendo ita appellati, quod (ut quidam volunt) agant & curent, ut gignamur & genitos nos suscipiant & tueantur tanquam Genitores. Orta est derivatio ista

ex eo

ex eo, quod gentes putabant, singulos Angelos, singulis hominibus à primò conceptionis momento assignatos esse. Hos Genios vocabant etiam Lares, Penates, quod *οικεῖοι* domestici sint Dii, Laris i. e. foci & totius domus ac penu custodes, quanquã Macrobius diversum sentiat, & dictos existimet, quod penitus nobis infideant; alii, quasi penes nos nati. Peripatetici hos Spiritus passim vocitant modò substantias separatas, immateriatas; modò formas abstractas; modò actus puros, non purissimos, qualis actus purissimus unus & solus Deus est. Angeli enim quodammodo sunt compositi, & ita puritatem tantam atq; à potentiã passivã omni absolutam non accepere. Reliquis nominibus recensendis hic supersedemus, quorum vel sexcenta, si operæ pretium foret, adducere possemus ex Varrone, Capella, Servio, Camerario, Macrobio 12. Saturn. aliis.

6. Sed iis missis pergimus jam rectã ad *πραγματολογία*. Definitur autẽ Angelus, quod sit *Substantia spiritualis finita completa*. Priusquam *πὸ τῶν ἄγγέλων* Angelorum explicemus, non sine ratione in antecessum istud de *τῷ ὄντι* Angelorum monendum erit, & quidem probandũ: Angelos ex naturã præcisã Scripturæ S. revelatione cognoscibiles esse. Frustrã namq; institueretur totus de Angelis discursus, nisi antea probata fuerit eorum Existentia. Quicquid enim non est, non potest habere Essentiam & attributa, adeoq; in nullã disciplinã reali pertractari, quum non-Entis nulla sint attributa. Probanda igitur ante omnia Angelorum Existentia, & de hinc ad Essentiã declarationem deveniendum.

7. Præsupponimus autẽ 1. de fide certam esse & lumine supernaturali quã certissimã Angelorum Existentiam; hinc ex sacris literis nullæ probationes hinc erunt expectandæ; Videbimustamen, annon eadem ex sanã ratione & lumine naturæ possint depromi, quod omninò asserendum. Nec ideò, quod secundo loco notandum, quispiã à nobis expectabit demonstrationẽ aliquam à priori, quã à causis ad effecta argumentari solemus, hanc enim hinc in materiã haberi haud posse, facile largimur: sed annon demonstratio illa, quæ dicitur *ἀπό τῶν* seu à posteriori hinc dari queat, hoc est, quod probabimus. Nec tamen tertio negamus, quod si quis scepticè velit procedere, semper verba verbis opponere possit, & ejusmodi objectiunculas invenire, quæ veritatem mentian-

tur: Verum quum ejusmodi scepticimos Philosophus aliàs curare non soleat, putamus nos tam firmum esse argumentum hoc ab Effectibus Angelorum desumptum ad probandam eorundem existentiam, quam firma in Logicis dici solet demonstratio à posteriori.

8. Assumamus Ergò 1. homines obsessos vel arreptitios, utpote in quibus sese offerunt notabiles sæpenuerò effectus, qui ad nullam aliam causam referri possunt, præterquam ad Spiritum finitum completum. Sunt enim illi sæpè rudes, Laici & plebeji homines, & tamen lingvis loquuntur peregrinis, manifestant res occultas & absentes, quia & crebrò eructant blasphemia & mendacia horrenda. Unde igitur ejusmodi blasphemationes & locutiones peregrinæ? unde istarum occultarum & absentium manifestatio? Non sanè à Deo: præsupponitur enim ut naturaliter notum, Deum esse bonum & colendum. Audiatur jam quispiam vel videatur facta obsessorum, statim secum arguet, hæc à Deo non fieri, utpote qui bonus & ab aliis colendus, non poterit in seipsum esse malignus aut blasphemus, atq; ita seipsum non colere; Deus nunquam sibi ipsi est contrarius, neq; verborum turpium & inutilium Autor, quorum severus ultor est & vindex. Neq; ab Homine, præsupponimus namq; & hic, esse Idiotam & linguarum ignorantem, habitus verò loquendi & variis quidem idiomatis successivè atq; longo intervallo acquiritur. Tertia ergò forma quædam spiritualis assistens linguarum scientissima & intellectualis danda erit. Quæ de animam separata ab aliis afferri solent, ea quaestione primam expedita dabimus.

9. Assumamus secundò etiam oracula Gentilium. Distingvuntur enim Oracula, Ecstatici, Pythones & obsessi. De obsessis modò dictum est. *Oracula* vel ex specubus, vel etiam per bruta, & ut plurimum per vetularum mulierum anum edebantur olim. *Ecstatici* rapti velut extra sese, sensuq; & metu orbati omni jacebant examines, ac ubi ad se redissent iterum, quæ à Diabolo dictata illis erant, perorabant. *Pythones* super antro quodam seu ingenti specu sedere, vel tripodi ibidem incumbere, divaricatis cruribus & per pudenda seu immundas partes, quæ honestè nominari non possunt, excipere egredientem Spiritum manticum vel potius ipsum Diabolum solebant. Unde v. ista omnia? Non à Deo, neq; ab homine aut ullam aliã causam, nisi à Spiritu finito completo.

10. Hinc

10. Hinc Tertullianus Apol. adv. gent. c. XXII. quatuor Autoritates addfert Gentilium ipsorum: Philosophorum, Poëtarum, vulgaris hominum vocis, & deniq; Magorum. Audiamus ipsum: *Atq; aded dicimus esse substantias quasdam spirituales, nec nomen novum est. Sciunt Dæmonas Philosophi, Socrate ipso ad Dæmonij arbitrium expectante. Quidni cum & ipsi Dæmonium adhaesisse à pueritia dicatur. Dehortatorium planè à bono dicunt omnes Poëta, etiam vulgus indoctum in usum maledicti frequentat. Nam & Satanam principem hujus mali generis perinde de propria conscientia anima eadem ex Sacramenti voce pronunciat. Angelos quoq; etiam Plato non negavit. Utriusq; nominis testes esse vel Magos asserunt.*

11. B. Dn. D. Gerhardus in Isag. Loc. Theol. disp. 1. de Ang. n. 5. adducit ipsum Aristotelem, (quod ille per Intelligentias, quas facit motrices orbium cœlestium l. 8. Phys. c. 6. & L. 12. Met. c. 8. nil aliud intelligat, quàm Angelos. Nos nullam, inquit ibidem, dicam scribimus Aristoteli, quod Intelligentias mentes à corpore separatas introduxerit, & ad qualemcunq; illarum cognitionem ex ordinatissimo cœli motu penetrarit; quin potius dignum admiratione censemus, quod verbi lumine destitutus per lucem nature eò usq; se extulerit, ut ruborem Saducais incutiens præter visibiles & corporeas creaturas etiam invisibiles & incorporeas Intelligentias dari haud inscite collegere, ac per hanc scalam ad primum & summum motorem utcunq; agnoscendum conscenderit. Sed hæc *ως ἐν τῷ ἐγδῷ.*

12. Probatâ igitur tali modo Angelorum existentia, jam ad eorundem Essentiam declarandam pergimus. Dicitur autem (1.) quod sint *substantia spirituales*. Quibus verbis Genus exprimitur, Per substantiam quidem remotum, per Spiritum verò proximum. Vocula substantia retinetur melioris declarationis causa, ne tantum accidentia esse, siquidem nomen Spiritus etiã accidentaliter usurpetur, credantur. Dicitur spiritualis substantia, ut materiali corporeæ contradistingvatur. Angeli n. materiam & formã non habent, nec extensionem, nec inde fluentes proprietates, impenetrabilitatem, localitatẽ, mutabilitatẽ &c. Sed existunt per identitatẽ seu conformitatẽ suæ Essentia sine reali diversitate ejusdẽ suæ Essentia. Quum v. vocabulum Spiritus valdè sit ambiguum, paucis notãsse juvabit varias illius acceptiones. In Theologia seu Scr. S. quot modis sumatur, Theologis explicandũ relinquimus.

In

In Philosophia sumitur (α) *falsò*, quatenus à Platone & Platonice fingitur Spiritus pro mediâ quâdã naturâ, inter animã & corp9, ut dissimiles naturas uniente, hinc nonnulli tres hominis partes somniarunt, quos refutavit B. Dn. Sperling. in Anthropol. Procem. c. 2. qu. 5. (β) *Impropriè* à Physicis 1. pro corpore subtili & tenui; vel pro ipso corpore, quod ex ore respirantis egreditur; vel pro vento; vel pro corpore tenuissimo membra pervadente ex sanguine puriore & vapore genito, quod facultatũ & animæ vehiculum dicitur à nonnullis. Et hic Spiritus triplex constituitur 1. Naturalis, qui in Hepate originẽ trahit, & ab eo ad conservandas facultates animæ naturales auctricem, altricẽ & procreatricem funditur per venas. 2. Vitalis, qui in corde generatus per arterias ad facultatũ vitaliũ in operationib9 suis conservacionẽ tendit. 3. Animalis in cerebro oritur, in quantum ipsa cerebri substantia Spiritus virales exhalantes assumit, & in animales convertit, & per nervos ad facultates sensitivas in operationibus conservandas transmittit; vel pro Spiritu quasi præternaturali, qui in membrorũ inflationibus seu tumoribus & rugitu ventris suboritur nõnunquam; vel pro formis corporũ purioribus ex crassiori materia extractis, ut Spiritus absynthij, salis &c. II. pro animã vivente ipsarũ plantarum & bestiarum, quæ forma materialis dicitur, non quod in se materialis sit, sed quod à materiã dependeat. III. pro intentionali, quod Spirituale (rectius spiritale) dicitur, & reali & materiali opponitur. (γ) *Propriè* pro substantiã immateriali, & incorporeã, non quidem ἐξοχικῶς pro substantiã immateriali, independenti, simpliciter immutabili solo Deo; nec speciatim pro substantia immateriali quavis sive completã sive incompletã; sed specialissimè pro substantia immateriali completa. Porrò (II.) dicitur finita. In Metaphysicis explicatur aliàs, quid finitũ, quid infinitũ. Melioris cognitionis ergò notamus obiter exinde, finitum hĩc non sumi 1. *pro causato finis*, quemadmodum formatum notat formæ causatũ; Effectum notat causatum efficientis. Nec 2. *pro eõ, quod ad finem est deductum*, quomodo bellum dicimus esse finitum. Neq; 3. *pro definito*, sicut vocabula ista nõnunquã solent confundi, finitũ & definitum, Item: infinitum & indefinitum seu indeterminatum, Sed 4. *pro opposito infiniti*, & notat id, quod fines & terminos Essentiæ agnoscit. Esse autẽ Angelos tali modo finitos,
patet

patet vel inde, quia habent esse participatum & dependens. A se enim nō sunt, essent alias independentes & infiniti, atq; sic plura infinita forent, quod absurdum. Additur (III.) completa. Ex Metaphysicis iterum hic repetendū, completū non notare i. idē, quod Essentialiter perfectum. Non quidē, ac si Spiritus finitus Essentialiter perfectus non esset: sed quia τ Essentialiter perfectum plura involvit, quā esse completum & competit etiā animæ humanæ, quæ tamen incompleta est, quamvis aliàs Essentialiter perfecta sit, & omni defectu Entitativo careat. 2. nec sumi participialiter, quatenus respectum habet ad aliquod complens; sed 3. pro eō, quod non ordinatur per se ad perfectionē alterius. Et ita Angelus Spiritus finitus completus est, quia per se extra omnē substantiam corporeā existens absolvit speciē perfectam. Atq; sic ab animā separatā distinguitur, sicuti per finitatē à Spiritu infinito, DEO sc. distinguebatur; Hinc est, quod dicitur aliàs Spiritus absolutus, ab omni nēpè respectu Essentiali ad aliud quia est solutus, cum quo constituat unum esse completum. His ita præceptis nonnullas inde colligimus quæstiones, Sit Ergò

*Qv. I. An præcisà Scripturæ S. revelatione Angelorum
Existentiæ ex naturâ sit cognoscibilis?*

Resp. Vexata satis & ultrò citroq; disputata hæc est quæstio à diversis diversum sentientibus, ut inter tot sententiarum divortia dubiis hæreas, ceu potissimum sententiæ calculum adjicere tuum debeas. Breviter tamen nos omnes istas sententias ad duas saltē classes redigere conabimur, si dicamus, peccare nonnullos hīc in defectu, quosdam in Excessu: *In Excessu* peccat Thomas 1, part. qu. 50. & 2. contra Gentes c. 46. qui cum complicibus suis, posse sufficienter ostendi ex lumine naturæ, adeoq; apodicticè & à priori demonstrari Angelorū existentiā, asserit, referente Svarez. disp. 35. Met. s. 1. n. 5. *In defectu*, qui peccant, sunt illi *vel crassiores*, qui Angelorum Existentiā planè & omni modò negarunt, ut Sadducæi, Actor. XXIII. 8. & quidā antiquiorū Philosophorū, prout ex Aristotele refert Gregor. de Valent. Tom. 1. Theol. Com. disp. 4. qu. 1. punct. 1. utpote Luciniani, Epicurei, Democritus, Averrhoës, alii, quibus hodiè ad stipulari videntur Anabaptistæ nonnulli, David Georgiani & Libertini, qui errorē hunc ex orco superiori seculo revocarunt, item Quackeri hodierni in Angliā, docentes:

B

non

non esse peculiare Creaturas, quæ vocentur Angeli: sed si quando DEUS exerat suam potentiã ad puniendum, vel nocendum, hoc vocari malum Angelum: bonum contra Angelum appellari, si quando DEUS nos custodiat ac conservet; quæ recensuisse refutasse est. Conf. B. Dn. Chemnitius in LL. CC. & pl. Rev. Dn. D. Calov. in Syst. T. 4. L. Th. art. 1. *vel mitiores*, qui non quidem Angelos, sed eosdẽ ex naturã demonstrabiles esse, inficiantur, concedentes interim certitudinẽ aliquã de illis ex naturã vel moralẽ, ut Cl. Ebelius disp. 16. Met. th. 5. & 7. p. m. 145. vel probabilẽ, ut Adrian. Heerebord. vol. 1. disp. select. disp. 12. Nos, quamvis argumentũ, quod à cœli motu desumitur ab Aristotele l. 8. Phys. & l. 12. Metaph. non admittamus: neq; etiam illud, quod ab ordine & perfectione universi petit Thomas part. 1. qu. 50. art. 1. neq; quod à possibilitate Angelorum desumit Svarez. l. c. quod & ipse Hurtadus de Mendoza Svarezii socius Jesuita disp. 12. Met. c. 2. falsè ridet & refutat, exclamans ibidẽ: *O bone Deus, quàm multa fecisses, si quæ potuisti fecisses*: mediã tamen incedentes viã existimamus, dari adhuc posse argumenta, quæ quidem non planè sunt apodictica seu demonstrantia à priori; nec saltẽ probabilia; Sed demonstrantia à posteriori, ab effectu ad causam, qualia argumenta antea de obsessis, arreptitiis & oraculis ex Scheibl. l. 2. Met. c. 4. art. 2. n. 7. B. Jac. Mart. & B. Dn. Scharff. l. 3. Pnev. c. 2. p. 342. adduximus. Nec quicquam Ergò restat, quàm ut sententiã nostrã ab exceptionibus adversariorũ vindicemus. Excipiunt illi atq; dicunt, posse credi, admiranda ejusmodi effecta fieri ab animã separatã vel etiã ab ipso DEO. Sed gratis ista dicuntur sine fundamento, quæ eã facilitate, quã adducuntur, refelluntur. Regerunt, quod Eva in Paradiso non cognoverit malũ illũ Angelum ex serpente loquentẽ, aliàs ab eodẽ seducta non fuisset. Verũ Respondemus. 1. posito, quod malũ illũ Spiritũ non agnoverit actu, potuisset tamen eundem agnoscere, nisi persuasione fucatã & seductrice eloquentiã Diaboli capta ac seducta fuisset Eva. 2. Ex hoc exemplo facilè adversarii videre possent, si vellent, ab animã separatã ista fieri non potuisse, quia tunc temporis nulla adhuc anima erat à corpore separata, atq; sic rectissimè hoc exemplum argumenti loco adducitur à Scheiblero l. c. quicquid etiam contra sentiat Heerebord l. d. Deniq; sententia ista non destruit tantũ
ea,

ea, quæ aliàs de statu animarum separatarum de fide certa sunt; sed & multa insuper absurda introducit. Quamvis enim *primò* *μετεψύχων* Egyptiacam seu Pythagoricam directè non introducat, ad minimum tamen possibilè eam esse arguit. *Secundò* talè animæ separatæ, quæ in corpore obsessi dicitur esse, attribuit statû, qui planè violentus est. Concedit *tertiò*, animã humanã cû corpore aliquo humano accidentaliter tantùm uniri posse. *Quartò* in uno homine obsessio duas admittere debet animas rationales. *Quintò* vocat animã illã separatã, quæ tamè cum obsessi corpore unita est. Miror igitur, tot absurditates ab illis non posse conspici. Neq; tandem ita possunt extenuare illas operationes, quæ in oraculis Ethnicorum, admirandis præstigiis & similibus Dæmonû effectibus conspiciuntur, ut animæ separatæ attribui queant. Operationes illas ipsi pensitent, quas adducunt, & num animæ separatæ competere possint, considerent. Maneat Ergò tamdiu demonstrativum hoc nostrum argumentum, donec contrarium ostendatur. *Posito Effectu proprio Spirituum finitorum completorum, ponitur necessariò & ejus causa, At positis oraculis, præstigiis variis & operationibus admirandis per homines obsessos, ponuntur effectus Spirituum finitorum completorum, Ergò.*

Qv. II. Cujus disciplina sit agere de Angelis?

Alii ad Metaphysicam, ad Physicam alii referunt. Ad hanc, qui supponunt *vel* Angelos esse motores corporum cœlestium cum Aristot. l. 8. Phys. *vel* esse Angelos datores formarû substantialiû, uti Avicenna putavit: *vel* Angelos esse corporeos, quâ de sententiã postmodum: *vel* subjectum Physicæ esse ampliandum, ut dicatur illud substantia naturalis, non corpus naturale, ut Scotistæ fecerunt, quibus tamen omnibus satisfacit Dn. Scheibl. l. c. & ex parte Timplerus l. 4. Met. c. 4. qu. 10. p. m. 491. B. noster Spetlingius sub initium statim Instit. Phys. hanc de Angelis doctrinam omnè deprecatur qu. 12. p. 28. *Omitenda, inquit, hæc doctrina est. De Physicæ n. subjecto Angeli neutiquã participant. Neq; n. corpora naturalia sunt, neq; ullo modo ad ea spectant. Unam autè hanc semitam deterit Physicus. Pnevmatici est exercere se in altiori materia, & quid quales, quotuplices, ac ubi sint Spiritus, oratione expedire dilucida.* Ad Metaphysicã retulère hanc de Angelis doctrinã omnes & vetustiores, & recentiores pleriq; Verùm etsi non negemus, quod



Angelus sub ratione universali ac communi, quatenus nempe Ens est, vel ut certus quidam gradus Entis, tanquam subiectum Scientiæ inferioris in superiori disciplinâ præcognoscendæ ad Metaphysicam pertineat; an tamē sub ratione propriâ, quatenus Spiritus est sub Objecto Metaphysicæ comprehendatur, hoc est, quod negamus. Obstat n. i. formale Objecti Metaphysici, quod non admittit, ad Entia determinatæ Quidditatis, quale Angelus est, descendere. Nam cum Metaphysica sit disciplina universalis, objectum utiq; universale & indeterminatum, non particulare & determinatum habebit. II. quod si de Spiritu, quâ tali in Metaphysicis agendum sequeretur, eodē modo etiâ de corpore naturali, quâ tali, quantitate, quâ tali, esse agendū, atq; sic Metaphysica confusum fieret Chaos, omnesq; alias sciētias inferiores absorberet. Relinquitur Ergo, quod illa Scientia, quæ Spiritū sub hoc formali, quatenus talis, pro objecto habet, etiâ de Angelis agere debeat, adeoq; Angelorum Doctrina ad Pnevumaticam directè pertinebit.

Qv. III. *An Angeli sint corporei?*

Ira sensisse dicuntur Patres nonnulli, Tertullianus, Bernardus, Augustinus, Athanasius, Lactantius & alii. Tribuitur v. hæc sententia primitus *Platoni*, Philosopho cætera præclaro, ut divinus etiâ dici meruerit, quod docuerit: Angelos sua habere corpuscula, alios cœlestia, alios ætherea, alios aërea, alios aquea, alios etiâ terrea. Item *Porphyrio*, quo de Gisbertus Voëtius Select. disp. part. i. p. 911. refert, eundē non tantū cum aliis gentibus delirasse, Dæmones nidoribus & sanguine hostiarum delectari, sed & corpuscula eorum aërea iis pingvescere. Hinc animalia quoq; ab eō dicti sunt Angeli, Vide Phil. Sobr. B. Meisneri part. i. s. 4. c. i. q. i. & B. Jac. Mart. Exerc. 3. Met. l. 2. th. 2. & 3. p. 586. *Judæis* etiam, qui apparitionibus Angelorum dubio procul decepti, illos similiter corporeos, rebusq; corporeis affici, cibis vesci, generare, mori instar hominū existimant. Sed quicquid de istorū, Platonis, Porphyrii & Judæorum, sententiâ sit, Patres tamē excusari posse confidimus, quum illi ipsi Patres alibi satis dextrè & ingenuè confiteantur Angelos Spiritus esse. Quando v. corpora illis tribuerunt, locuti sunt comparatè & certò respectu. Vel n. opposuere corpore *Φαντάσματα*, & hoc sensu etiam DEUM corpore vocavit Tertullianus, unde & sic Angeli corpora vocari possunt: vel locuti sunt respectivè, &

vè, & omne illud corpus vocarunt, quod est compositum & mutabile, ita enim Origenes l. 2. de princip. c. 23. Præter DEUM, inquit, nihil vivere sine corpore. Autoritas Ergò Patrum Vorstio non patrocinator, qui in Apologet. Exeg. contra Becanum ait: *Sibi plusquam verisimile videri, Angelos esse corporeos.* Verum licet non admittamus omnimodam compositionis carentiã in formis separatis, easq; coæternas supremo & simplicissimo Numini statuamus, quod Anno Christi 1226. nonnulli in Academiã Parisiensi docuerunt, ac propterea quoq; Academiã ejecti sunt: nec concedamus adversariis, quod Angeli sint puri, puriores, purissimi actus: interim tamen corporeos esse Angelos Vorstio & qui cum eò faciunt non largimur. Distinctiunculis quibusdam *ois èz cæntias* rem agunt, quæ tamen adeò intricatæ sunt, & tenebricosæ, ut novis iterum distinctionibus opus esse videatur. Sed quod semel falsum, id nullã distinctione restitui potest. Argumenta, quæ adducunt, non magni sunt momenti, pleraq; falsã nituntur *Wort* aut petunt principium, quibus omnibus satisfacit Dn. Scheibl. l. 2. Met. tit. 3. n. 23. seq. Placet nobis hîc gravissima Pietas Megalandri nostri ad dictum 1. Petr. V. 8. *S. Petrus / inquit, streicht den Teuffel die rechte Farben an / und sagt / er gehe umb uns her / wie ein brüllender Löwe / Da ist er ja besser abgemahlet / denn wenn ich lange disputiret / und mich bekümmert / ob er auch Kopff oder Nasen habe / wie sie davon genarret haben.* Malè Ergò Johannes Episcopus Thessalonicensis in Synodo quadam hac ratione ductus, quod Angeli depingerentur, statuebat eos corporeos esse, adeoq; figuram habere. Sed cur non ita etiam DEO corpus, aut Angelis alas, quia à Pictoribus ita pinguntur, ascripsit? Pictura sæpè est rei non existentis, est representatio rei juxta figuram apprehensæ, non ipsa figura Quantitatem determinans, quæ vel pueris nota sunt, atq; sic sententia ista tanto Episcopo indigna videtur.

Qv. IV. *An Angeli sint compositi?*

Quùm Angeli sint Spiritus, non corpora, materiam & formam quoq; non habebunt, adeoq; nec ex materiã & formã compositi erunt, neq; ex partibus Quantitativis. Plura sunt compositionis genera; Principaliora tamen sunt: Compositio ex Esse & Essentia: ex naturã & supposito: ex genere & differentia: ex materiã & forma: ex partibus Quantitativis: Item ex subjecto & accidente.

Secundum hæc Angeli sunt compositi, & non sunt compositi. Compositi sunt Angeli 1. *ex Esse & Essentiâ*, quippe quæ rationis saltem est compositio, quatenus mens nostra primò concipit ipsum esse, antequam ipsam concipiat Essentiam. Non quidem distinguitur Esse Angelicum ab Essentiâ Angelicâ, ut species à specie oppositâ, sed ut aliquid, quod in proportionem respondet formæ, ab alio, quod in proportionem respondet materiæ, dicit B. J. Mart. Exerc. 3. Met. l. i. th. 4. p. 68. Et hoc patet, quia Angeli non sunt Entia per Essentiâ sicut Deus, in quem proinde hæc compositio non cadit; sed per participationem, ut ita mens nostra possit præscindere ab esse actuali & possibili Angelorum. Angeli n. utut actu sint, possunt tamen ut possibiles concipi. 2. Compositi sunt *ex naturâ & supposito*. Nam natura hic nil aliud est, quàm ipsa Essentia rei singularis: & suppositum est modus rei individuæ Essentiam ultimò determinans & coarctans quasi ad esse suppositivum aut personalitatis. Hæc compositio, quamvis in rebus creatis realis sit, attamen & in Angelis eadem invenitur, quum pariter, sicut in homine, natura Angelorum ab esse suppositivo realiter possit separari. Compositi 3. sunt *ex Genere & differentiâ*. Sunt n. Angeli reverà in Prædicamêto, adeoq; commune genus cum rebus creatis habebunt. Conf. B. Jac. Mart. Centur. VI. quæst. illustr. Phil. disp. 9. qu. 1. & Du. Scheibl. Introd. Log. n. 57. Tandem 4. Compositi sunt *ex Subjecto & accidente*. Dantur namq; in Angelis accidentia realiter distincta. Dantur in illis Habitus, qui possunt amitti Angelorum essentiâ salvâ manente, quod ex lapsu Diabolorum patet. Dantur ibi potentia & facultates realiter distinctæ, intellectio nempe & volitio, quâ de re suo tempore docebimus. Interim tamen Angeli non sunt 1. *ex materiâ & formâ* compositi, quippe quæ adæquata principia sunt corporis naturalis, neq; (2.) *ex materiâ & formâ* fluentibus *partibus quantitativis*. Quicquid n. non est compositum ex materiâ & formâ, illud etiam partes quantitativas non agnoscit, quod prolixè aliàs probant Philosophi. Sed audio hîc quendam reagentem: Quicquid est compositum ex genere & differentiâ, compositum quoq; est ex materiâ & formâ, Atqui Angeli, Ergo. Minorem jam cum Thomâ, Capreolo, Scoto, Hervæo, Ferrariensi, Alexandro Alensi, Soncinate, Avicennâ, Svarazio, Scheiblerô & Jac. Martini concessimus. Majoris v. consequentia inde probari posse videtur, quia

quia Genus respondet materiæ, differentia autem formæ ex com-
muni Philosophorum suffragio. Verum, utut admittamus, Genus
materiæ rationem habere & formæ rationem differentiam, quod
etiam probatio Majoris inferre videbatur, dum dicebatur: Genus
respondere materiæ, & differentiam formæ: Quicquid autē alteri
saltem respondet, illud cum eo, cui respondet, non statim omni-
modam habet convenientiã, atq; sic materia & forma non statim
idem dicunt, quod genus & differentia, nec compositio ex mate-
riã & formã, eadem erit cum compositione ex genere & differen-
tia. Illa compositio ex materiã & formã Physica est & realis, quæ
materiam & formam Physicam præsupponit: hæc v. ex genere &
differentiã rationis saltem est & Logica. Quicquid Ergò compo-
situm est ex genere & differentiã saltem, illud ex materiã & formã
adeoq; Physicè compositum non est, sed Logicè tantùm & inten-
tionaliter. Similitudinem quidem inter materiam & formam,
Genus & differentiam, ita etiam inter compositionem ex materiã
& formã, & compositionem ex genere & differentiã hætenus ad-
mittimus, non identitatem. Sicut enim materia ex se nullam habet
formam, apta tamen est ad formam suscipiendam: ita Genus ex
se nullam includit differentiam, aptum tamen est eandem reci-
piendi: vel: sicut materia est indifferens & indeterminatũ quid,
quod per formam determinatur: ita Genus etiam indeterminatũ
quid seu determinabile est, quod differentia ad certã restringit
speciem. Hætenus ergò novimus, quod Angeli sint compositi, &
non compositi: quod sint actus puri; sed non simpliciter puri.

Qy. V. An Dæmones Platonici sint Angeli?

Dæmones Platonici dicti sunt, non quod Plato eosdem primi-
tüs introduxerit aut invenerit, quùm ipse Hesiodus jampridem
quatuor ordines naturæ rationalis distinxerit in Deos, Dæmones,
Heroes & Homines, teste Plutarcho de Orac. defect.; Sed quod
Plato & Platonici eorundem existentiam præ aliis defenderint.
Quid & quales illi Dæmones fuerint, non conveniunt. Dicunt
tamen pleriq;, quod sint mediæ cajusdam naturæ inter DEUM &
Homines, quod sint corpora, animalia rationalia, corpore aërei,
animalia animo passiva, & quæ alia cõmenta de illis tradunt, quib9
sefe infinitis involvunt contradictionibus. *In istis de Diis, inquit
Ludov. Vives Comment. super August. l. ii. de C. D. c. 2. deq; Dæ-
monibus.*

monibus sententiis mirum quam inter se discrepent homines ejusdem
 heresis, alia sentit Apulejus, quam Plato: alia Plotinus, quam Apulej9:
 Diversa ab iis Porphyrius, nec cum Jamblicho aut quoquã alio in omni-
 bus convenit Proclo, nimirum Dæmonibus ipsis pro naturâ suâ varia illis
 & fallacia dictitantibus. Sed quod Dæmones isti non tantum sint
 distincti ab Angelis, sed & quod mera sint commenta non nisi in
 cerebellis ociosorum hominum existentia, luculenter probat pl.
 Rev. Dn. D. Calovius noster Tom. 4. Syst. Theol. art. 1. quæst. 3.
 contra Marsilium Ficinum, Plotinum, Grotium, alios. Apuleji &
 Marf. Ficini argumentum, quod pro astruendâ istorum Dæmo-
 num existentia adducunt, absurdum & valdè ridiculum est. Dicunt
 enim quod absurdum sit, aërem à Cælo usq; ad terram animalib9
 destitui; quasi verò aër propterea sit conditus, ut Dæmones Pla-
 tonici ibi domicilia sibi parare queant. *Per aërem vivimus, per
 aërem videmus, per aërem audimus, per aërem ambulamus, per aërem
 omnis linguarum exercitus est vocalis, cunctaq; tubæ & tarantæ so-
 nant ac resonant,* inquit desideratissimus Sperlingius noster Instit.
 Phys. lib. 4. c. 2. ad præcept. 1. p. 620. Alius longè finis est aëris:
*Felicissimum vacui supplementum est, januas, parietes, muros & me-
 diam montium altitudinem permeans, & cuncta, non aperta tantum,
 sed & operta multisq; vinculis occlusa pervadens,* dicit ibidem Vir
 beatissimus. Et edisserat nobis quispiam Platoniorum, ubi ex-
 tent vel extiterint isti Dæmones? an fortè in Sole aut Lunâ, ut
 ita maculæ ibi sint conspicuæ propter præsentiam istorum Dæ-
 monum? an fortè ita vivunt animalia ista Platonica in aëre, uti
 Pyraustæ in igne sustentari ac vivere finguntur? aut fortè vacuum
 in aëre metuendum ab illis supplendum? ridicula & absurda
 omnia? Sunt Ergò Dæmones isti corpora non corpora, animalia
 non animalia, Spiritus non Spiritus, Angeli non Angeli, Entia
 non Entia.

T A N T U M.

Præstantissimo

D N. RESPONDENTI.

Perias inter turmas, doctosq; recessus
Aonidum, facili conseris arte manus.

Nec satis, Angelicas misces in praelia mentes,

His ducibus qui non victor abire queas?

Johannes Ericus Ostermannus, P.P.
 & Coll. Phil. p. t. Decanus.


05 A 25121

ULB Halle 3
004 545 117


WMA







8

reatore annuente!
De

ate Ange.

cum,

ÆSIDE

ANITIO, Elstrensi Lusato,

St. Sax. Alumno,

Albim Academiâ

arii, Anno 1662.

abit publicè

torio Minori,

pomerid.

ERICUS, Misenensis,

ondens.

EBERGÆ,

LAELIS Wendt.

